



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

XVIII. De non terminandis causis episcoporum absque auctoritate Romani
pontificis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

episcopis. Quod si legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur episcopus: quia sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum. Nec illi, qui Throni Dei vocantur, prauorum hominum insidiis turbari debent, sed libere Christo Domino famulari.

X V I I I .

Quamquam comprouincialibus episcopis vna cum eorum metropolitano, suæ prouinciæ causas episcoporum liceat caritatue & concorditer agitare, non tamen (sicut in prædicta, te præsente, constitutum est Synodo) licet definire absque Romani pontificis auctoritate. Quod si secus a quibusdam præsumptum fuerit, ipsi qui hoc egerint, suæ præsumptionis suscipiant damnum: & illi, qui ab eis perperam excommunicati aut damnati fuerint, auctoritate huius sanctæ sedis, & beati præceptoris nostri clauigeri Petri potestate soluantur, atque restituantur. Ipse enim ait Dominus: *Quaecumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.*

X I X .

Quoties episcopi se a suis comprouincialibus, vel a metropolitano putauerint prægrauiari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellant sedem, ad quam eos absque vlla detentione, aut suarum rerum ablatione libere ire liceat. Et dum prædictam Romanam matrem appellauerint ecclesiam, aut ab ea se audiri exposcerint, nullus eos aut excommunicare, aut eorum fides surripere, aut eorum res auferre, aut aliquam eis vim inferre præsumat, antequam eorum causa Romani pontificis auctoritate finiatur. Quod si aliter a quoquam præsumptum fuerit, nihil erit, sed viribus carebit. Nam nec hoc perpetram præsumimus, sed & ipsum in Nicæna Synodo constitutum, & antecessores nostros egisse, bene Athanasi nosti: quoniam quando tu & Paulus Constantinopolitanus, Asclepius Gazæ, & Lucianus Adrianopolites, ab orientalibus episcopis, inconsulto sanctæ memoriae Iulio prædecessore nostro, damnati estis, & ad eum quasi ad totius orbis caput (vt semper huic sedi sanctæ licitum fuit) confugistis, cognita eorum nequitia, & vestra iustitia, vos in communionem suscepit, & omnium vestrum curam gerens, propter sedis propriæ dignitatem, suas singulis